



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

127. An absolvere possit excommunicatum à Delegato Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

quando Episcopus esset in Diocesi, vel in loco propinquo, excommunicatus ab Episcopo, ab eodem sit absolvendus juxta ea, quæ tradit Abb. in c. quis contra. de offic. deleg. in 6. quod à delegato Episcopi, recusati vel non recusati appellari possit ad Vicarium Episcopi, Episcopo præsentem in Diocesi vel loco vicino, in quo etiam dicitur præfens juxta Abb. l. cit. & juxta dicta alia, quod Vicarius Archiepiscopi non possit excommunicare Suffraganeos, ubi Archiepiscopus præfens est. Quæ tamen distinctio locum non habet, ubi Vicarius haberet speciale mandatum Episcopi ad absolvendum excommunicatos. Sbroz. num. 19. Vicarius siquidem ex speciali mandato absolvendi excommunicatos, potest etiam absolvere in casibus Episcopo reservatis. Sbroz. ibid. citatis Rebuff. in pr. benef. tit. form. Vicariar. num. 179. Lancell. in instit. juris Can. de penit. & remiss. juxta Trident. sess. 24. c. 6.

Quæstio 127. An Vicarius Episcopi absolvere possit excommunicatum à delegato Episcopi?

Respondeo affirmative; sequitur à fortiore ex dictis quæst. præced. ea enim fortius militare videntur contra delegatum Episcopi, si militent contra Episcopum delegatum juxta regulam c. auctoritate. de concess. præb. in 6. Sbroz. l. 2. q. 125. num. 7. Huc quoque facit, quod apud eundem num. 8. tradit Archid. in c. 2. de consuetud. in 6. & illum secuti Cardin. in Clem. 2. de rescrip. num. 25. Felin. in c. si quis de foro compet. num. 5. Rot. decis. 371. tit. de offic. Vicar. in novis. & plures alii apud Sbroz. num. 9. nempe quod à deputato Episcopi appellari possit ad ejus Vicarium tanquam ad unum idemque Consistorium. Item, quæ tradit apud Sbroz. num. 10. Innoc. in c. prudentiam. num. 14. nempe quod delegatus unus Episcopi possit absolvere excommunicatum ab aliis delegatis ejusdem Episcopi, adeoque à fortiore id quoque possit Vicarius Episcopi, habens cum eo idem Consistorium, & qui majora potest quam delegatus, ut Felin. in c. quod sedem. de offic. Ordinari. num. 2. Bald. in l. aliquando. ff. de offic. Procons. num. 7. Neque his obstat, quod excommunicatus à delegato Papæ à nullo alio absolvi possit, quam à Papa, etiam delegato excommunicante mortuo. Nam delegatus Papæ, & Papa non constituunt idem tribunal, sicut Episcopus & Vicarius ejus. Sbroz. num. 13. qui tamen ipse num. 14. inheret distinctioni à se data, quod nimirum præsentem Episcopo Vicarius ejus absolvere nequeat excommunicatum à delegato Episcopi; atque Vicarium non habere in omnibus idem Consistorium, sed tantum in iis, quæ competunt ratione jurisdictionis ordinariæ. Notandum quoque hic, quod tradit Sbroz. l. 2. q. 176. quod si Papa mandet cuipiam ut absolvat excommunicatum ab Episcopo vel ejus Vicario, mandatum hoc se non extendat ad excommunicatum à delegato Episcopi. Pro quo citat Calder. conf. 11. de sent. excom. Pavin. de potest. capit. sed. vac. p. 2. q. 6. in fine, &c.

Quæstio 128. Num vice versa Episcopus absolvere possit excommunicatum à suo Vicario?

Respondeo affirmative: Sbroz. l. 2. q. 177. num. 1. majus siquidem est imperium Episcopi quam Vicarii, majusque privilegium, & firmior

jurisdictio. ut Gemin. in c. licet. de offic. Vicar. in 6. num. 6. Bald. in l. sed si hec. §. semper. ff. de in jus vocand. in fine. Felin. in c. cum olim. il. 2. de offic. delegat. in princip. & plures alii apud Sbroz. l. cit. num. 2. adeoque si Vicarius possit absolvere excommunicatum ab Episcopo, à fortiore poterit Episcopus, utpote qui Vicarium constituit, & cujus nomine competit Vicario jus dicendi, absolvere excommunicatum à Vicario suo. Quod si tamen Vicarius fulminasset censuram in casu aliquo sibi delegato (intellige per Papam) non poterit fulminatus absolvi ab Episcopo. Sbroz. loc. cit. num. 4. juxta c. pastoral. §. præterea. de offic. delegat. & ibi Felin. num. 9. uti nec Episcopus cognoscere potest causam Vicario suo delegatam. Sbroz. loc. cit. num. 3. citatis Anchar. in Clem. 2. de rescrip. col. 1. Imol. ibidem num. 14. Zabarel. num. 10. Bertachin. de Episc. l. 4. p. 5. tit. de auctor. Episc. circa judic. num. 39. Et hæc, etiamsi causa delegata fuisset Vicario sub nomine dignitatis (intellige Vicariatus) & eo nomine censuram infligisset. Sbroz. l. cit. n. 6.

Quæstio 129. An Archiepiscopus ejusque Vicarius absolvere possit excommunicatum à Suffraganeo, ejusve Vicario?

1. Responder affirmative Sbroz. l. 2. q. 178. n. 3. ubi: certum est excommunicatum à Vicario Episcopi Suffraganei absolvi posse ab Archiepiscopo vel ejus Vicario, ad quem provocavit. c. venerabilibus. de sent. excom. in 6. uti & in c. ad reprimendum. de off. Ordinari. & ibi Hostiens. Jo. And. & Abb. in c. ab excommunicato. de rescrip. n. 12. &c. Procedit responsio, etiamsi lata fuisset excommunicatio post appellationem; quia confusio, quod ex tali causa ad Metropolitanum fuerit appellatum ad cautelam, relaxanda est ab eo excommunicatio, accepta cautione de parendo mandatis. Sbroz. l. cit. n. 2. juxta c. venerabilibus. §. sed si. & ibi Jo. And. & c. per tuas. de sent. excommunic. & ibi Abb. n. 6.

2. Limitanda tamen est responsio primo, ita ut si certum sit, sententiam excommunicationis esse justam, remitti debeat ad excommunicatorem. Sbroz. l. cit. num. 3. juxta c. venerabilibus. §. sane & Abb. loc. ult. cit. Quin & in dubio honestius sit remittere absolutionem Suffraganeo. Sbroz. n. 4. juxta c. §. sane & Abb. l. c. nisi tamen excommunicator requisitus malitiose denegasset excommunicato absolutionem. Sbroz. n. 5. citans §. sane juncta c. exhibens. & per tuas. c. cum contingat. c. prudentiam. de offic. delegat.

3. Limitanda secundo ut procedat, ubi excommunicatus à Suffraganeo ejusve Vicario provocasset ad Archiepiscopum, secus, si eundem adivisset per modum querelæ; regulariter enim querelam hujusmodi non debet audire Archiepiscopus ejusve Vicarius; quia non sunt judices nisi in causa appellationis, juxta c. pastoralis. de offic. ordinari. &c. per tuas & ibi canonista, & ideo excommunicatus remitti tunc debet ad excommunicatorem absolvendus. Sbroz. loc. cit. num. 8. & seq. Quod ipsum tamen de non aditione Metropolitanæ per viam querelæ sic sublimitandum: nisi excommunicatio esset evidenter nulla vel injusta, vel si periculum esset in mora, vel quando aliquis subditus Suffraganei fuit excommunicatus ad instantiam partis & petit coram Archiepiscopo puniri Suffraganeum de excommunicationis injustitia, juxta c. sacro. de sent. excommunic. & ibi Abb. &c. vel quando subditus Suffraganei fuit excommunicatus ex officio Judicis, non ad partis instantiam; in omnibus enim his casibus potest.